

Vorbemerkung:

Der folgende Text soll in angemessenes Deutsch übersetzt und durch die Bearbeitung der unter II. gestellten Aufgaben sprachlich erläutert werden.

I. Übersetzung

Carmina qui quondam studio florente peregi,
flebilis heu maestos cogor inire modos.
Ecce mihi lacerae dictant scribenda Camenae
et veris elegi fletibus ora rigant.
5 Has saltem nullus potuit pervincere terror
ne nostrum comites prosequerentur iter.
Gloria felicitis olim viridisque iuventae,
solantur maesti nunc mea fata senis.
Venit enim properata malis inopina senectus
10 et dolor aetatem iussit inesse suam.
Intempestivi funduntur vertice cani
et tremit effeto corpore laxa cutis.
Mors hominum felix, quae se nec dulcibus annis
inserit et maestis saepe vocata venit!
15 Eheu, quam surda miseros avertitur aure
et flentes oculos claudere saeva negat!
Dum levibus male fida bonis fortuna faveret
paene caput tristis merserat hora meum:
nunc quia fallacem mutavit nubila vultum
20 protrahit ingratas impia vita moras.
Quid me felicem totiens iactastis, amici?
Qui cecidit, stabili non erat ille gradu.

1, 1. Haec dum mecum tacitus ipse reputarem queri-
moniamque lacrimabilem stili officio signarem, adstis-
se mihi supra verticem visa est mulier reverendi admodum
vultus, oculis ardentibus et ultra communem hominum
5 valentiam perspicacibus, colore vivido atque inexhausti
vigoris, quamvis ita aevi plena foret ut nullo modo no-
strae crederetur aetatis, statura discretionis ambiguae.
7. Quae ubi poeticas Musas vidit nostro assistentes
toro fletibusque meis verba dictantes, commota pauli-

10 sper ac torvis inflammata luminibus: 8. Quis, inquit,
has scenicas meretriculas ad hunc aegrum permisit acce-
dere, quae dolores eius non modo nullis remediis fove-
rent, verum dulcibus insuper alerent venenis? 9. Hae
15 sunt enim quae infructuosis affectuum spinis uberem
fructibus rationis segetem necant hominumque mentes
adsuefaciunt morbo, non liberant. 10. At si quem pro-
fanum, uti vulgo solitum vobis, blanditiae vestrae de-
traherent, minus moleste ferendum putarem: nihil quip-
pe in eo nostrae operae laederentur; hunc vero Eleaticis
20 atque Academicis studiis innutritum ... 11. Sed abite
potius, Sirenes usque in exitium dulces, meisque eum
Musis curandum sanandumque relinquite!

II. Sprachliche Erläuterungen:

1. Erklären Sie V. 15 *miseros avertitur!*
2. Erklären Sie die Verwendung der Formen *reputarem*, *signarem* und *foverent*, *alerent* (Z. 1 f. bzw. 12f. des Prosa-Textes)!
3. Wie bezeichnet man die vorliegende Textsorte? Benennen Sie formal vergleichbare Werke aus der römischen Antike!